DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MORBO ENDEMIO HAGYMA'Z,

Oder

Hitzigen Haupt-Franckheit;

Addito in fine NOVO & SPECIFICO Remedio in hoc Morbo PATRIAE usuali;

QVAM,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

PRORECTORE MAGNIFICO

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BEROL. SCIENT. SODALI, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQVE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLEMNI OBTINENDIS

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVI. D. SEPTEMBR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR ET RESPONDENS,

JOANNES GEORGIUS Schüller,

CIBINIO-TRANSILVANUS SAXO.

Halæ Magdeburgicæ, typis Jo. Christiani Hendelii, Acad. Frid. Typographi.

DEO.

ARCHIATRO. SVMMO.

PATRIAE. PATRIBVS.

.PATRONIS. AC. MAECENATIBVS. OPT. MAX.

VT. ET.

PARENTI. MEO. OPTIMO.

DISSERTATIONEM. HANCCE. INAVGVRALEM.
VT. EXIGVVM.

ANIMI. AETERNA. PIETATE. DEVOTISSIMI.

MONVMENTVM.

MEQVE. IPSVM. MEA. STVDIA.

ATQVE. CONATVS. OMNES.

EA. QVA. PAR. EST. OBSERVANTIA.

DAT. DICAT. DEDICAT.

AVCTOR.

Σὺν Θεῶ Ἀρχιάτρω!

CUm tot, tantaeque exiſtant res, Caſusque Medici, imo hunc ad vsque diem, nouae, nouique adhuc communicentur, elaborentur, forte ne et *fingantur*, dubius vtique diu diuque manebam, quid ſcilicet mihi, de re aliqua *inaugurali* medica cogitaturo, relictum, intactumque manſerit, quod pariter orbi erudito, tanquam ſpecimen aliquod Conatuum meorum medicorum, grata mente offerre et communicare poſſim. Et hoc in dubio, anxius dum ita haerebat animus, incidit in mentem: *vaſtiſſimum* eſſe medicinae *Campum;* hinc infinitas obſeruationes, adeoque diiudicans, impoſſibile fore quin omnia perſpecta et palam eſſent. Nec vtique, dum paulisper adcuratius elaborata perluſtrarem themata medica, fruſtrabar ſpe, multa enim, bone DEUS, peruerſe admodum, falſis ex principiis, tum in theoreticis, tum et practicis ipſis adplicata, *triſte* obſeruare licuit, imo

nec vereor adſerere; per multa *intacta* plane poſteris, et relicta, et nedum recte perſpecta eſſe, *vid. D. Johan. Herman. Fürſtenau differt. Epiſtol. de iis quae deſiderantur in praxi medica*, exempli loco pauca haec ſunto: *falſa adplicatio phyſicae communis ad ipſam praxin clinicam*, *ſpontanea varicum Apertio, et illius ſpontanea percuratio*, *tractatio Geographiae phyſico-medicae*, *vis ſpecifica ſolani furioſi in Cancro occulto, Infibulatio Veterum, vt vt cauſa longaeuitatis et Virilitatis. De praerogatiua Venae-Sectionis in locis frigidis, prae calidis.* etc. etc. et haec, niſi me omnia fallant, nondum aut plenarie, aut ſecundum genuinam medicinae methodum pertractata proſtant, his addo, *rectam methodum pertractandi*, et *cum cautelis addiſcendi medicinam*, quod imprimis thema vt vt inaugurale ego in me lubens, certas ob rationes, ſuſceperam, et perplurima etiam *elaboraueram*, pro certo perſuaſus, rem non modo iucundam, ſed et vtilem fore. Hanc vero mentem, hocque Conſilium eo quidem lubentius mutaui, et repudiaui, quo promptius quidam mihi ex Patria Amicorum, ONONIDEM, Herbulam aliquam per nuncios aut tabularios ita dictos publicos, vt vt in morbo Contagioſo epidemico Hagymáz ſpecificam, quam etiam deſideraueram, communicauit, quod quidem remedium mihi pariter notum fuit, genuinum vero et vulgare nomen botanicum, ſic ut ipſis in patria, ſic et mihi quadantenus incognitum erat. Liceat mihi itaque DE MORBO hocce HAGYMÁZ, oder hitzigen Haupt-Kranckheit, quem alii etiam *Febrem Hungaricam* adpellant, annexa in Patria vſuali tractatione, quam nullibi me legiſſe reminiſcor, quae-

dam

dam differere. Quae intimior perſcrutatio, priori omnino, vt et patriae meae dulciſſimae, nec non hic loci, praeſertim ſi tentamina quaedam hocce remedio ſolertes practici rationaliter inſtituent, erit et iucundior, et vtilior, imo ſolatio patientum. Quem laborem vt ſummum et diuinum Numen gratia et directione ſua ſecundare, ſalutarem vt nanciſcatur ſcopum, velit, eſt quod in limine praeſentis noſtri conatus practici deuotiſſime et cordicitus precor. Tu autem Lector beneuole, qui haec *ſcripta legis*, ſin minus vbique iudicii exquiſitioris limam ſuſtineant, *feſtinabundo* calamo condonabis.

§. I.

QUando itaque cum DEO ſuſcepi hac vice quaedam de MORBO HAGYMA'Z differere, ſic non placet, ſecundum vulgarem tractandi methodum, multa in huius morbi ἐτυμολογίαν, aut ὁμωνυμίαν inquirere; vſus enim, quem practici nonnulli, in ſcrupuloſa aliqua, praeſertim ἐτυμολογία quaerunt, non ſemper magni eſt ponderis et momenti, ſufficit [nam ἀκριβολογίαν illam cum *Galeno lib. I. de meth. med. Cap. 9.* parvi facio, dicente, ſeu morbum quis *Dionem* aut *Theonem* adpellet, parum eſt damni.) indicaſſe, Morbum hunc, Noſtris in patria, Hungarica voce κατ' ἐξοχὴν nominare: er hat den HAGYMA'Z, quando vero cum Germanis loquuntur, dicunt patientem laborare morbo Hungarico, er habe die Ungriſche-hitzige-Haupt-Kranckheit, quem morbum, quare illa voce HAGYMA'Z ſolide adpellent, ipſis etiam, praeter coniecturas incognitum manet, ſatis ergo ſcire eſt, ſub hac Pannonica notione, nihil aliud intelligere, quam febrem illam Epidemico-

 Hun-

Hungaricam, quam alii febrem venenatam, anti-medicam, flagellum medicorum, causum cordis, alii Morbum Castrensem recte dicunt, non illa quidem generali denominatione, ubi plurimi grassantur morbi, quos milites ex castris redeuntes, domum adferunt, veluti Anginam, Scorbutum, Dysenteriam, Petechias, etc. sed specialissime illam intelligi febrem Malignam, continuam, contagiosam, cum graui Cardialgia, anxitate intolerabili, Cephalalgia, indeque grauissimis Deliriis, et graviore Prunella, coniunctam. Propterea Teutones satis apte pro Symptomatum varietate diversimode dicunt, et reddunt: die Haupt-Kranckheit, propter intensissimos dolores capitis, die Hertz- und Mund-Bräune, ob summam et magnam cardialgiam ut et nigricantis linguae colorem, die Hirn-tobende Kranckheit, das giftig-ansteckende-Fieber rc. Contagiosa vero, non ideo secundum mentem Ciceronis de Diuinat. lib. I. nominatur, quasi vis quaedam a stellis defluat, et in sublunaria influat, sed rectius ideo, secundum *Maurit. Hoffmannum de Morb. Contagios. Disp. I.* et *Thom. Willisium de febrib. Cap. 12.* quia Miasma aliquod, aut secundum autoris mentem, actiuitas quaedam, in adfecto Corpore residens, sui similem excitet in alio, et quidem vel immediate et corporaliter per contactum, vel mediate et ad distans.

Malignitas autem a paritate hominis maligni optime explicatur, qui sub specie recti, alium hominem decipit et prostituit: sic etiam febris haec maligna se mitem ostendit ast hominem occidit.

Porro vero, quare dicatur Morbus, itidem non habeo, quod in explicatione hac diutius immorer, cum terminus in Medicina adeo frequens sit, imo omnibus notus, ut vix ac ne vix quidem ullus alius partim sit frequentior, partim huic Nobili arti dedito, incognitus. Id unicum saltem monere hic loci placet, quod quidem, uti vulgo morbus dicitur et vocatur *actualis* et *physica* illa corporis humani periclitatio et laesio: sic differentia illa, praxi ipsa funda-

ta, probe et bene ſemper facienda eſt, in quantum non omnes morbi, nuda nitantur laeſione partium, ſed ſedulo deſtinatos eſſe ad recuperandam ſanitatem, adeoque recte, morbus alio ſenſu obſeruatur Phyſico, alio vero Medico; quam differentiam neceſſario hic adnotare debui, quia haec ipſa cum reſpectu ſuo, in nonnullorum pathologia, minus abſoluta, mirifice inter ſeſe confundi ſolet, cum indiſcretim omnes morbi pro accidenti praeternaturali friuole ebuccinentur. *Confer. Illuſtr. Stahlius de febre per ſe non lethifera, Magnific. D.D. Praeſes de Therapia Morborum morali, illius Pathologia et diſp. de Morborum Salubritate.*

§. II.

Sic etiam altera illa Curioſitas, quae in Chronologico-Hiſtorica ſcientia, conſideratione, et euolutione conſiſtit, videlicet, an *Hippocratis* vti coniecturatur *ex libr. VI. Epidem. Com. I. T. 29. item lib. II. Epidem. et libr. VII. ex hiſtoria fullonum* vel *Galeni* tempore *3. Epidem. Comm. 3. T. 3.* hic Morbus fuerit frequens et notus, *Conferatur D. Martinus Panſa de Febribus libr. IV. Cap. 14. p. 544.* an vero in expeditionibus, vbi Milites in Pannonia ponunt teutoria, tum ſolum tempore, et alio non illos hoc adfligi Malo, an vero, referente *Sennerto, Cap. 2. tract. de febribus* ſuperioris ſeculi Anno Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo ſexto, vel Septuageſimo ſecundo, in Exercitu Militum Caeſareorum Maximiliani II. Imper. contra Turcas, ni fallor Solimannum, in Hungaria pugnante, primum Natales vel ſumſerit, vel innotuerit; hanc itaque inueſtigationem, quoad adplicationem ipſam Practico-Clinicam, incongruam, nimis ſcrupuloſam, imo a ſcopo meo plane alienam fore adſero. Etenim, quamuis quidem, vti me minime latet, ſolerti ex hac hiſtorica inueſtigatione, id ipſum ſequeretur, Morbum hunc, vel Antiquioribus diu iam tum fuiſſe cognitum, vel vero nouam aliquam eſſe Corruptionis ſpeciem, quae Machinae noſtrae periculum minatur, aſt, nullus tamen inde, *(ſcil. ex nuda illa hiſtorica veritate,)* genuinus, et magnae Virtutis redundaret

daret VSVS, quam exiguus ſolummodo ille, qui in hiſtorica aliqua penſitatione conſiſteret nuda, et quid quaeſo Practico, hac notione, qua tali, prodeſt? Nulla reuera inde vnquam ſperanda eſſet medela, praeſertim ſi VETERES nullas addidêre rationes, obſeruationes, cautelas, et ſperatas curationes, RECENTIORES vero itidem in peruerſa illorum manent methodo, quae nec bona fiducia, ne dicam Conſcientia, adplicabilis eſt, et ſi forte vltro adplicetur, vtplurimum praecipiti et funeſti eſt euentus.

§. III.

Conſultum ergo duco, imo e re noſtra potius erit, Conſiderationibus his praemiſſis generalioribus, propius ad *realem* praeſentis thematis explicationem me conuertere. Agendum itaque erit, de genuina et in praxi ipſa rationali adplicatiua, et fundata, ſontici huius morbi, DEFINITIONE; quo ſtatim in limine, et quaſi vno intuitu omnibus perſpectum fiat, quis ille in *indole* et *natura* ſua ſit adfectus, quidue corpori noſtro vel proſit, vel minetur. Antequam vero id ipſum perluſtrare penitus lubet, ſic prius omni iure, et plane coactus praemonere cogor, nos minime illis poſſe ſubſcribere, praeſentem qui morbum, ſecundum vanam ſpeculationem, fictionem, et diu exploſum dogma, ne nihil dixiſſe videantur, male et friuole ebuccinant, efferueſcentiam et intemperiem eſſe calidam, vel a fermentationibus *Kerkringianis*, *Williſianis*, vel a raptu et tumultu ſpirituum et excandeſcentia *Archei Helmontiani* exortam. Vnde potius ac rectius ad mentem Illuſtris, et indefeſſi motuum Naturae animalis perueſtigatoris, *D. D. Stahlii*, et ex rei ipſius *eſſentia* MORBVM hunc HAGYMÁZ definimus, quod ſit: Species Febris per acutae valde malignae, contagioſae, communiter epidemice graſſans, imo Patriae meae fere endemia, in qua (*ſcil. febre*) Natura *ἐνέργηα*

ſua,

ſua, per auctos valde motus, materiam et miasma aliquod periculoſo-malignum, vndecumque natum, corporique communicatum, expellere et profligare penitus ſatagit.

§. IV.

Iam ordo itaque rerum, antequam ulterius progrediar, exigere videtur, ut quaedam in praecedenti theſi obuia, potiora tamen ad hanc conſiderationem facientia, delibemus, praemittamus, et quomodo noſtra data *Definitio,* melius ſe ſe accommodetur huic adfectui, in examinis incude, tanquam in lydio lapide probanda eſt. Conſulto diximus Morbum hunc *Hagymáz* eſſe *Febrem,* ubi hoc loco ſuſceptationem illam in me non ſuſcipiam, unde nam febres oriantur, aut denominationem ſuam nactae ſint, an a fermentatione, putrefactione, an a feſtis Romanorum Februorum, an Dea ſit, *vid. Valerius Maximus libr. II. Cap. 5. Cicero de Natura Deorum libr. III. Plinius libr. II. Cap. 7. Auguſtinus de Civitate Dei libr. II. Cap. 14.* imo an febri huic, uti Inſcriptione *Oſtrobenſi* in *Hatzegienſi Diſtrictu* Patriae meae edocemur, *vota* facta ſint, quam *Analectorum auctor* ſic habet: FEBRI DIVAE FEBRI SANCTAE, FEBRI MAGNAE CAMILLA AMATA PRO FILIO MALE AFFECTO P. aut an delubria exſtruxerint, et quod templa ſecundum relationem *Alexandri ab Alexandro Genialium libr. I. Cap. 13.* Romae erecta ſint etc. Sufficit in Definitione FEBREM, GENVS ipſum iure conſtituere, minime vero, vti antea monui, efferueſcentia et intemperies illa calida famoſa, et prior et poſterior enim quam plurimum adeſſe poſſunt, abſente tamen omni febre Hagymáz, indolem ergo febrium non exhaurit. quae actui ſuo ſolenni reſponderet, conducibilius itaque erit, eiusmodi confuſos conceptus, penitus e ſchola medica profligare, quo tandem

dem illius eximia *dignitas*, exquisitus *ordo*, *typus*, *gradus*, *successus*, et *decursus* eo maiori vtilitate et splendore effulgeat. *Confer. Illustr. Stahlii Disp. de febrium rationali ratione, de febris historia in genere, de febris pathologia in genere.*

Ipsos vero tumultuantes quod attinet *spiritus*, quia ex falsa hypothesi ortum duxêre, ex hinc friuole supponuntur, multa differere superfluum esset, dum é choro et foro medico iam tum diu ab Apolline ipso in perpetuum, secundum eruditum *And. Ottom. Goelikii* schediasma, spiritus animalis ex foro medico relegatus, sunt profligati et relegati, de qua re fusius in *physiologicis* discursibus egit *Magnif. Dominus Praeses.*

§. V.

Et haec theoretica sunt, practicis potius lucubrationibus hic dandus est locus. Hunc morbum ergo esse Febrem *acutam*, *malignam* etc. testantur ipsa signa, pulsus velox, calor imprimis, sitis continuo adfligens, et aucti valde motus, vid. §. VIII. quae signa hic satis eminenter adparent nec per interualla, cum ἀπυρεξίας quadam *vicissitudine*, vti in ipsis intermittentibus, exacerbantur. Hinc cum Celeberrimo *Boerhavio in Aphorism. de cognoscend. et curandis morbis*, adsero, in quocunque morbo, haec praesentia cognita sunt, omnes Medicos docet, febrim adesse, quorum absentia iudicant hominem ab illa immunem esse, et *§. 564. edit. III. Lugdun.* in qua ergo febre haec signa adsunt, volociter et cum periculo decurrunt, illa acuta dicitur.

Quoad *malignitatem* vero, notandum est, nostris demum temporibus, scil. dimidium et quod excurrit seculum, usu magis receptam esse vocem malignitatis; ipsi enim *Veteres* vtplurimum morbos incurabiles, rebelles, malorum morum, τοῦ ἤθους κακοῦ, vtpote ex ipsorum hypothesibus aliquid monstri alentis, malignos nominabant, qui tamen morbi, genuino sensu, non adeo maligni reprehenduntur; veriori ergo sensu *Malignitas* tum demum de morbo quodam

dam praedicatur, vbi talis adest malignitas contumax coniuncta cum contagio et periculo, vbi *per* et *propter* introductas peregrinas substantias valde subtiles et ex dissolutione agentes, corpori putredo quaedam minatur, et sanguis, secundum *Galenum de succorum bonitate et vitio Cap. I. Zacut. Lusitanum in Prax. admirand. lib. III. obs. 41. Casp. a Reies. quaest. iucund. camp. quaest. 86.* dissoluitur, ipsi autem placidi motus vitales cursu suo turbantur, inuertuntur, ut inde irreparabile, oeconomiae nostrae, damnum aut immineat, aut actu ipso iam praesto sit. Hinc omnes morbi maligni *periculosissimi* quidem, et ancipitis sunt euentus, NATVRA vero sua, et *in se* non absolute lethales, uti recte ex propria obseruatione iudicat *Galenus*, quando *libr. I. prorhet. 4.* inquit, maligni morbi ii adpellantur, quicunque periculum minantes, spem salutis non adimunt. Num vero hic Morbus sit contagiosus, sic ipsum nemo negabit, nisi forte omni ratione destitutus sit, aut cum Gregorio Nysseno, qui ab Hieronymo Mercuriali tract. de Peste citatur, in chimerica illa fuerit persuasione, qui nullum morbum contagiosum esse, contra omnem experientiam, frivole proclamauit, ex falsa illa argumentatione, quod sanitas non sit contagiosa, ergo et nullus morbus. *Conf. Andr. Tenzelius part. 1. med. Diastat. Cap. I. p. 22.* Tandem quid per epitheton morborum ex genere communium ἐπιδήμιος, atque per terminum Natura, illiusque ἐνέργεια intelligamus, plurimis notum est, et ne in his nimis prolixus sim, consuli possunt ipsa scripta medica, ipsum Collegium *Manuscriptum de Natura*, praelectum *Anno 1702.* a Viro *Illustri Stahlio*, et *Magnif. D. D. Præsidis* partim *Philosophische* und *Medicinische* Schriften, partim *Physiologiae ipsius Cap. I. etc.* Pauca saltem haec memori mente tenenda sunt, febrem hanc non esse effectum materiae, sed actum illius dictae *Naturae*, oppositum materiae malignae, quo hanc subiuget, tandemque legitime euacuet.

Reliqua autem in definitione ipsa obuia ad specialius

exhauriendam ac determinandam illius morbi faciunt naturam, et magis genuinam huius febris abſoluunt indolem.

§. VI.

Adeoque cum hic Morbus, uti ex praecedentibus §§. patet, *Eſſentia,* ſeu formalitate ſua generica, cum aliis quidem malignis, motibus vitalibus infenſis, conueniat, ita, quicquid de illis generaliter dici meretur, id ipſum etiam noſtro quidem morbo in ſpecie attribui, omni iure poteſt.

Adfectuum vero maligni moris, cum multiplices, imo infinitae dentur Species, inimicae et infenſae tum materiae, tum motibus, aut his coniunctim, ita quidem, vt haec malignitas *ſolum* et *ſimpliciter* contumax ſit, uti illa eſt in Malo Hypochondriaco, Hyſterico, Epileptico, Ulceribus antiquis, etc. vel eſt *contumax* et *periculoſa, ſine contagio,* veluti obſeruatur in Paralyſi vera, Hectica inueterata, Hydrope, Tympanitide, Ictero nigro, etc. aut eſt *contumax* et *contagioſa ſine periculo,* huc refero Lepram Graecorum, Luem Veneream, Scabiem etc. aut tandem malignitas illa, non ſolum *contumax* deprehenditur, verum etiam *coniuncta* manet cum *Contagio* et *periculo,* vbi corpori animali ſerius ocius magna et extraordinaria noxa, damnum, et periculum infertur, cuius indolis noſter obſeruatur *Hagymáz:* Tum ergo, omnes hi morbi probe a noſtro diſtinguantur, ne confuſio quaedam in praxi ipſa committatur.

§. VII.

Specialius vero de hac re differendo, tum quidem non opus habeo omnia ſymptomata recenſendi, ſufficit quaedam ſpecialiora heic loci adnotare ſigna, unde videre licet quaenam *differentia* inter poſteriores ordinis morbos vere malignos contagioſos intercedat. Communiter in Schola Medica, febris Catarrhalis maligna, a nonnullis minus attentis, pro vna eademque declaratur ac putatur, et licet quidem, quod, quadantenus noſter cum illa conuenien-

nientiam habeat morbus, differunt tamen, non quidem ipsa *essentia malignitatis*, sed gradu ipso symptomatum, quae omnia acerbiora in hoc adfectu sentiuntur, speciatim autem noster Morbus *Hagymáz* quoad causam materialem non tam Catarrhum acrem causticum pro fundamento habet, cum is ordinarie non reperiatur, necque more febris malignae Catarrhalis temporibus frigidioribus grassatur, sed et his et calidioribus imprimis, omnisque generis subiecta, vbi grassatur, inuadit, et corripit. Sic etiam febris haec, de qua sermo mihi est, maximis, adeoque atrocissimis tam Capitis, quam praecordiorum doloribus, coniuncta graui cardialgia et anxietate maxima, saeuit; contra *Petechialis* non tantis, eisque intensissimis doloribus capitis et praecordiorum est adfecta, neque symptomata, tam exacerbata sunt, calor enim in hac febre mitior videtur, nec maculae secundum quaestionem *Rulandi* octauam semper adsunt, quae tamen de iure in febre ipsa Petechiali die quarta, vel septima, raro serius, aut secundum relationem *Chr. Frid. Garmanni de Mirac. Mort. Libr. II. Tit. I. §. 13. p. 317.* post mortem ipsam erumpunt, *confer. Act. Naturae Cur. Dec. I. An. III. obs. 72. vid. Riedlinus pag. 611.* et nisi in hac febre maculae ipsae ad pareant, non petechialis, sed petechizans, aut in genere maligna dicitur febris, Vnde etiam *Primerosius libr. IV. Cap. 11. pag. 410.* hanc febrem petechialem nominat purpuream. Demum quomodo a Peste ipsa differat breui rem expedire placet, haec tanquam summus morborum malignorum apex cum publica hominum strage coniungitur, et est omnium maxime contagiosa, malignissima, grauiora in summo gradu habens symptomata, multosque interficiens, imo hac plures subitò pereunt, quam seruantur, vtplurimum adsunt bubones, Carbunculi, petechiae ipsae, quae omnia tanta vehementia et praecipiti euentus in morbo *Hagymáz* non adsunt, operam medicorum non ita eludit, plurimi ab ipso malo

praesertim in *Patria* mea, seruantur, quam quod fatum commune experire deberent.

§. VIII.

Posita ipsa *Differentia*, propius ad rem ipsam me adcingo, illaque hac vice quantum possibile breuibus enarrabo, quae visui perspecta manent, aut quae saepius hoc de *Morbo Hagymáz* experta sunt: adeoque, quidnam in principio eiusdem, progressu, et fine quotidie adhuc obseruetur.

Inuadit ordinarie hic Morbus homines utplurimum *Epidemice* et *contagiose* vno eodemque tempore quam plurimos, cuiuscunque sint conditionis, aetatis, temperamenti, sexus, etc. prae aliis autem maxime infensus est ipsis *plethoricis*, impuro aëri expositis, putridas exhalationes haurientibus, et vitiosa utentibus diaeta. Inchoat utplurimum leni rigore, lassitudine et hanc insequente aliquali *Cephalalgia* et *nausea*, ita vt dolor saltem levior ὀςεοκόπος sentiatur, et quia aegri se morbo laborare vix credunt, praesertim si non epidemice grassetur, *Nostrates* statim dicunt, es hat nichts zu bedeuten, ich habe getsemert, qui *morbus TSEMER* in Patria quidem vili penditur, est vero ibi *Endemius* transitorie homines *nauseâ* et *languore* corripiens, uti idipsum bene obseruauit *D. Tobias Coberus*, qui obseruationes Castrenses Hungaricas edidit, subsequente autem tempore, lenis ille rigor, mutatur in frigus ac horripilationem, ex *Cephalalgia* quadantenus leuiori, fit *Cephalæa* atrocissima, aegrum validissime et continuo infestans, adeo ut prae Cephalaeae huius et vehementia, et continuatione, reliqua symptomata ab aegris nonnunquam non sentiantur, tandemque *Calor* ille primum mitior, breui temporis interuallo ex scintillâ hac vastum per totum corpus exorditur incendium, adeoque accedente aestu intolerabili, siti inexplebili, summa nausea, inappetentia, auersatione et odio in omnis generis cibos, coniuncto assiduo comite anxietate, insigni cardialgia,

algia, ita vt non facile quenquam reperias, ut recte inquit *Tob. Coberus Decad. 2. obſ. VI. pag. 54.* qui non manu quaſi deducta, ad hunc locum adfectum ſit deducendus. Obſeruatur porro *Color* faciei pallidus, lividus, inquietudo anxia, quae vero non ſemper totum adfligit corpus, ſed nunc brachium unum vel alterum mouent, nunc pedes agitant, aut extra lectum exerunt, imo proſiliunt, mox integumenta hinc inde mouent, praeſto eſt pervigilium, oris amarities, labra ſicca, lingua continuo arida, nigricans, ſcabra, fiſſa, et ſaepius tumida, ſicque vox articulata perit, praeſertim accedentibus *parotidibus*, corporis iectigationem nonnunquam vomitus excipiunt, reſpiratio eſt difficilis, crebra, frigida et foetida, aures tinniunt, imo aliqui plane ſurdi fiunt, Nox inſomniis et vigiliis cum debilitate et proſtratione omnium virium tranſigitur, interdum vigiliis oppoſiti adfectus ſoporoſi, conuulſiones, deliria, terrores, aliaque phantaſmata cum ſomno turbulento ipſos corripiunt, ſudores in multis nullius ſunt ordinis, aliquando copioſiores, aliquando pauci, vtplurimum particulares ac frigidi, ſic etiam aluus nunquam fere rite ſuccedit, vel enim nimis aperta, coniuncta Diarrhoea, vel nimis adſtricta et occluſa detinetur. Et haec *tragoedia* veſpertinis imprimis luditur horis, dum circa hoc tempus communiter paroxyſmi de nouo pertinacius redeunt et exacerbantur. Imo tanta tandem fallacis huius morbi et doloſi hoſtis eſt *inconſtantia*, atque mutabilitas, vt cum quam plurimis adfectibus ſoepiſſime *ſtipata* reperiatur, pro ſubiectorum enim diuerſitate, temporum viciſſitudine, regiminis et diaetae peruerſitate conſpirant et concurrunt adfectus Catarrhales, Petechiae, fluxus Dyſenterici, Anginodea et Prunellodea adflictio, Narium Haemorrhagiae, Parotides, Paralyſes et Hemiplexiae. Quod autem Pulſum et Vrinam ipſam attinet, in his quoque variae mutationes, alterationes, et confuſiones reperiuntur. PVLSVS enim ſaepe Chamaeleonte ipſo mutabilior et

inconſtantior, nam in principio aequali arteriarum dilatatione, magnitudine et vigore, naturali eſt ſimilis, vt a ſanorum pulſu vix diſtinguatur, poſtea in augmento morbi, reſpectu rythmi, inaequalis, interciſus, undoſus, interdum intermittens et deficiens, in ſtatu autem, ſeu vigore inordinatus, et reſpectu roboris plane debilis, mox vero legitime febrilis, et magnus, durus, ac interdum etiam contra malignarum febrium indolem impetuoſus. Quoad VRINAM vero idem fatum, nam in initio parum eſt mutata, modo tenuis et aquoſa adparet, in progreſſu vero ingraveſcentibus ſymptomatibus, nonnullis cruda, ſed absque ſedimento, plurimis tamen craſſa, turbida, rubea, flammea, conturbata, et foetida exiſtit. Huius morbi autem tempus *declinationis*, modo citius, modo tardius contingere ſolet, communiter a prima per alteram et tertiam periodum febrilem progreditur, et durat, nonnunquam vero citius decurrit, et terminatur excretionibus vel eſſentialibus exquiſite febrilibus, moderate diaphoreticis, vel cum ſymptomaticis Haemorrhagicis, alui fluxibus, aut metaſtaſi et tumoribus modo poſt aures, modo circa alas et inguina. Adque haec de morbo noſtro ſatis laruato, quoad hiſtoricam relationem ſufficere poſſunt, Coetera quae forte addenda eſſent, ne Medicus illius πολυμορφία decipiatur, prudens, et ex ipſis rerum phaenomenis per ipſam, experientiam intenta, et attenta cuiuslibet obſeruatio facile aut euitare, aut etiam quantum in ipſum cadet penſitationis ἀκριβεία, e vera cauſali habitudine et mutuo interſe nexu, beneuole ſupplere et addere poterit.

§. IX.

Cum adhuc in pathologicis verſer explicationibus, ſic iam progredior ad ipſius morbi CAVSSALEM explicationem, Medico uſui imprimis adcommodatam, quo a vanis et inutilibus multorum Medicorum contemplationibus, ſpecioſis magis, imo otioſis, liberi et repurgati

manea-

maneamus. Hinc minime *Veteribus* assensum praebeo, qui caussas huius Morbi, ex doctrina *Hermeticorum* ita crude et nude dicunt esse venenum Antimoniale, Aconitale, Arsenicale, Mercuriale, Cicutosum, Napellinum. etc. Confer. *Minder. libr. de Pestilentia Cap. III. p. 31.*

Hic enim *insignis committitur fallacia non caussae vt caussae*, cum praeeunte *Willisio*, venena dicant sanguinem coagulare, falsissima supposita analogia inter venena quaedam coagulantia ex regno Minerali ac vegetabili, et substantias tenues atque agiles, febres malignas parientes; aut quia post sectionem cadauerum, peste praesertim extinctorum, sanguis coagulatus in Corde, ventriculo et vasis maioribus connexis repertus fuit, hinc ad simile concludentes, quae, qualis quanta? Alia certe est indoles venenorum mineralium, vegetabilium etc. acido constringenti crassius operantium et liquamina animalium coagulantium, *a substantia* in febribus maligne agentium, quae tenerrima sua textura sanguinem potius corrumpit, et discontinuat.

Porro etiam minime illis subscribo, qui rem acutius perscrutari putant, et cum *Paracelso Tract. II. de Peste* in opportune adserunt esse Sulphur, et Nitrum cum Arsenico remixtum, vel secundum *Petrum Seuerinum in Idea Medicinae Cap. VI. de Seminibus* et Astris rerum, *Astra* vt caussam esse agnoscunt, quod turpe, imo absurdum est Medico eiusmodi sibi fingere caussas, quae partim ignotae ipsi manent, partim vero in ipsas nullo modo operari potest. Accedunt etiam illorum sententiae, qui *peccatum* ipsum tanquam fontem huius mali declamitant, nescientes quod â Medico naturales morborum vel mortis caussae explorentur, unde hoc loco tales etiam huius morbi causas scrutari cogito vti antea dixi, quae medico vsui sunt adplicabiles. Et qui plures hac de re Opinionum *diuersitates*, quibus tamen recensendis et refutandis hoc loco non immorabor, scire desiderat, videat *Scheuneman. Tract. de Morbo Mercuriali,*

riali, Cap. III. Petreum in Nosologia Harmon. Willisium Syluium, Unzerum, Petrum Fabrum in Palladio spagyrico Cap. X. Ioh. Bapt. ab Helmont, Rodericum a Castro in Tract. de Peste Neapolitana pag. 16. Zacut. Lusitanum libr. II. Prax. admirand. obs. 42. et libr. IV. Med. Princip. Hist. 46. quæst. 42. et alios quam plurimos.

§. X.

Ego potius in obstrusa hac, et tot difficultatibus obuoluta *doctrina*, illos veritati propius accedere statuo, qui caussam huius morbi agnoscunt *Miasma valde subtile salino-sulphureum maxime agile, et cito fermentescens*, (id quod vires eius in corpus aliud transeuntes testantur) undecunque ab extra corpori nostro communicatum, imprimis massae sanguineae destructionem minitans, imo toti nostrae oeconomiae confusionem inferens, et tamdiu qualitate sua nociua durans, quamdiu non penitus eliminatur, vnde et iam continuo auctior et intensior perdurat circulus sanguinis, propter periculum quod imminet, quae causa plus rationalis, quam physica existit.

Ergo non a miasmate illo ita simpliciter physico, aut a materiali sua constitutione, combinatione et efficacia producitur *Lucta* quaedam, in nonnullorum cerebro efficta, quae *pondere vires* determinet, febremque impellat, cum illa ipsa materia nociua, plane eo ipso a potestate sua physica priuatur et debellatur, a mala enim caussa et re, nil boni prouenire potest, dum *luctam* illam, aut rectius dixero febrim, non absolute quid mali esse supra iam dixi, quid quod et ipsi *Paroxysmi*, noui sint insultus *Naturae*, qui per motus febriles, pro materia praeparanda et euacuanda directi sunt. Rectius ergo id ipsum dices, quod a sapienti quodam fiant *Principio*, tanquam ipsa *caussa Formali*, quam NATVRAM adpello, quae instrumentis suis naturalibus et proprie structis, *pulsu* videlicet fortiori Cordis, progressu celetiori sanguinis, et *motu* proportionato *Tonico*, miasma hocce corpori infensum, è reliquo humorum et laticis pur-

purpurei nexu placide et ſucceſſiue eliberat, ac abſtergit, et in aptis organis, ad futuram *eliminationem* adſeruat, quam deinde inſequitur ſecretio, excretio, et corruptionis aucrſio.

Et hinc *recte explicatur* quare nonnullae febres cum horripilatione incipiant, unde proueniat ſuperficialis corporis conſtrictio, extenuatio, pallor, et calor, dolor capitis, deiectio adpetitus, agrypnia, etc. *Conf. Magnif. D. D. Praeſidis Patholog. ſect. IX. de febribus in genere.*

§. XI.

Sed ad viam, e qua paululum digreſſus ſum, redeundum eſt, expoſita genuina cauſſa *Materiali* et *Formali*, iam ſequuntur ipſae externae OCCASIONALES, remotae, quae hunc morbum etiam aut prouocare, aut magno patientum damno exaltare et deteriorare poſſunt. Tales ſunt illae Cauſſae, quae quidem directe et proxime ad internam eſſentiam corporis non pertinent, quas Medici vocant RES NON-NATVRALES, quae vti ſub congrua adplicatione *ſub concurſu* corpori noſtro longiorem vitam, durabilitatem, firmitatem, et continuatam conſeruationem conciliant: *Confer. Illuſtr. Stahl. diſp. de vita*, *et Magnif. D. D. Praeſid. Phyſiolog. Cap. IV. de Theoria corporis humani medica* §. *X.* ita e contra maximo etiam damno et detrimento anſam praebent. Ex his immediatè maſſam ſanguineam adficiens eſt imprimis *Athmoſphaera* vitioſe ſe habens, quando ſcil. *Aër* per *accidens* inſinuatur humoribus, vbi reuera nihil combinat et coniungit, verum, ſi ſub motu ipſo humorum incaleſcit, hos, ipſe aër, ut inſtrumentum motus fermentationis, nimium expandit, rarefacit, diſſoluit, diſcontinuat, et ſuffocationem minatur, praeſertim aër frigidus et humidus, partes reddit rigidas, fluida coagulat, diſponit ad relaxationes partium, vnde Adfectus Catarrhales, ſtaſes, ſtagnationes, etc. nimis vero *ſiccus* et *calidus*, humores conſumit et exareſcit, et ſi *in exceſſu* ſunt, ad *noſtrum* plane diſponunt *Morbum malignum*, Petechias, ipſamque

que Peſtem; Omnium maxime vero ad maximam ſanitatis perturbationem contribuit aër, partim ſqualidus, humidus, nubilus, et impetuoſus, partim ſtatum praeter naturalem induens, quatenus impraegnatur, et inquinatur putridis, malignis, et vaporoſo-ſulphureis impuritatibus, quale quid in illis contingit locis, vbi Metalla fodiuntur, funduntur, vbi paludoſae ſunt uligines, putridae et foetidae lacunae, fuligines ſubterraneae etc. Aut vbi etiam corpora humana crudeli Marte, et Morte vel crudeliori Peſte extincta, non vero nimis profunde ſepulta ſunt, accedit vbi multa ſunt *Ichthyotrophia*, vti *Cibinii*, inquibus aeſtate calidiori, diu demortui iacent piſces, auram inquinantes, adeoque talis aër cum per inſpirationem attrahatur, eiusmodi exiſtit cauſa morbi. Idem etiam ſentiendum de *Ventis* turbulentis, impetuoſis, diuturnis Borealibus, Occidentalibus, et Septentrionalibus, quia praeſertim poſteriores ſunt humido frigidi, excretiones periphericas turbantes, adeo vt particulae ſalino-ſulphureae ab exitu prohibeantur, in ſanguine coaceruentur, quae demum fomitem Mali ſuppeditant, ita, vt ſi paululum ſubiectorum praeceſſerit praua diaeta, ſpeciatim commeſtio fructuum immaturorum, potus aquarum putridarum, hoc *Morbo*, imprimis vbi epidemice graſſatur, facillime imo certo corripientur, modo videant ne penitus ſuccumbant.

Quod autem reliquas attinet *Res non naturales*, ſic morboſum etiam adparatum praebent praua victus ratio, corrupta ſcilicet et fermenteſcentia alimenta, putredini obnoxia, vti ſunt fructus terrae et arborum, aut immaturorum, aut ex praua anni conſtitutione corruptorum, aut etiam maligna aura afflatorum, huc pertinent animalia morbo laborantia, cibi aromatibus exoticis nimis calidis conditi, et in exceſſu adſumpti, vt et vſus potulentorum ſtagnantium et putridorum, aqua ex coenoſis lacubus hauſta, vinum pendulum et corruptum, aut tandem alimentis his oppoſita *calamitas*, quae eſt annonae caritas, vnde etiam

iam hoc malum plus saeuit in vulgus, quam lautioris fortunae deditos.

Porro ansam praebent *se- et excretiones* interceptae aut protinus turbatae, seu illae sint ex genere Haemorrhagiarum, seu excretionum aluinarum, sudorum, Vrinae, saliuae etc. Animi Pathemata autem modum excedentia, quantum corpus nostrum, imprimis terror, timor, tristitia, ira, ad hunc adfectum disponere queant, explicatu non erit difficile, dictu autem nimis prolixum. *Confer. Illustr. Sthalii Disput. de passionibus Animi, varie corpus alterantibus.*

§. XII.

Inter caussas vltimato occasionales adnumeratur etiam non sine omni fundamento CONTAGIVM per alios inductum, siue per contactum, siue fomitem, vel ad distans id fiat, *Confer. Caspari a Reies Elys. Iucund. quaest. Comp. Quaest. 61. Numero XXII. seqq.* Sic imprimis vt quibus ex necessitate, aut officii ratione, vel ex legibus conscientiae cum eiusmodi personis hac lue adfectis arctior et frequentior intercedit conuersatio, non exclusis aliis commerciis per nummos, lanam, vestes, gossypium, etc. institutis, facilius, nisi sibi bene prospiciant, contagio tali vehementer adfici possunt, *quotidiano exemplo* adstantium, famulorum, et aliorum domesticorum, sacerdotum, imo et Medicorum, qui prius sanissimi fuere, paulatim vero a tali miasmate quaquauersum disperso corrupti sunt, similemque contraxerunt labem. Hinc etiam ad praeseruationem malignitatis MERCVRIALIA suadent, et citante *Reiesio p. m 891. Lacuna in Diosc. in praefat. libr. VI.* tanquam unicum a se experientia confirmatum maxime laudat ARSENICVM ad cordis regionem adplicatum; a talibus vero periculosis praeseruatiuis sedulo sibicauere suadet *Valentini in Praxi sua Medic. infallibil.* dum praemonente *Guiberto in Tract. de Peste Medico* charitatiuo annexo ita *Capit. IV. p. m. 172. Cautel. III.* differat: *Inter periapta et*

amuleta caue tibi ab Arſenicalibus et Mercurialibus, cum veneno ſe a veneno praeſeruare periculoſiſſimum ſit. Sic et *D. D. Teichmeyer* ex relatione *B. Wedelii*, in eiusmodi viſitationibus mihi ſingulariter commendabat Rad. *Colchici* cum rad. *Plantaginis*, tempore autumnali erutas, inſtar amuleti geſtandas, de qua re conferatur citati *Beati Wedelii Schediaſma de Arcano duplicato catholico*, et *D. Chriſt. Ludou. Wilhelmi tract. Germanic. de Colchico* **Mittel wider die Peſt.** Num vero tantae ſint Virtutis miaſmata maligna ab ipſo coercere corpore, hac vice ſuſpendo meum Iudicium, *forte vero facit quod poteſt, non autem quod ſaepe neceſſitas poſtulat*, meo Iudicio *Amuletum* et praeſeruatiuum ſecuriſſimum erit: FIDVCIA IN DEVM, DEVOTAE PRAECES, et *animam ſuam CHRISTO SALVATORI conſecrare*, confer. locus *Syracidis Cap. II. verſ. 6. et Cap. XI. v. 21.* ſed haec obiter, iam ad rem, ſuboritur mihi hic quaeſtio ab Auctoribus inſtituta, occaſione hac dum diſſerui de Contagio per alios introducto, ſcil. quaeritur; mortuane an viua corpora magis inficiant? Hanc quaeſtionem erudite ventilauit *Garmannus de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. II. §. 47.* Ab vtraque parte ſuos haec quaeſtio habet defenſores, ſecundum fundamenta *Leuini Lemnii Libr. II. de occultis Naturae Miracul. Cap. III. p. 151.* Contagium magis eſt nociuum morientibus, quam mortuis adſiſtentibus, ſecundum alios mox mortua, mox ſecundum *Kircherum* viua magis inficiunt Corpora. *Vid. Hieron. Fracaſtor. Lib. I. de Contag. Cap. 12. Matth. Tiling. de febre Petechial. Cap. X. Laurent. Ioubertus de Peſte Cap. III. et imprimis Caſpar. a Reies quaeſt. LXVI. Num. XI. p. m. 889.*

§. XIII.

Perſpectis Cauſſis, aliisque animaduerſionibus, iam de PROGNOSI ipſa quaedam dicenda reſtant. Hic quidem de triumphantis vel victae Naturae indiciis quid certi adfirmare, vti in omnibus febribus malignis elogio *Hippocratis ſect. II. aph. 19. Morborum acutorum non in totum*

certae

certae sunt praenunciationis, neque salutis, neque mortis, difficillimum est: sic praesertim de Victoria nostri Morbi Hagymáz prognosin daturus, videat Medicus ne temerario iudicio fama periclitetur, dum saepe praeter spem aeger moriatur.

In genere hic Morbus multis respectibus partim quoad *Symptomata*, partim quoad ipsum *exitum*, grauissima et periculosissima est Febris, et quo magis subiecta sunt plethorica, et in his maiores translationes sanguinis ad superiora, vnde si maiores oriantur Capitis dolores, ac deliria quo vehementius urgent, eo maiorem iacturam, imo maiorem metum phrenitidis incutiunt.

Hinc recte admonet *Waldschmidius*, quod Medicus nunquam ab aegro recedat, nisi prius inspexerit Oculos, quorum insolita mutatio infaustum praedicit euentum, et dum pulsum explorat, semper attendere debeat, an manus aegrotantis sit tremula; inspiciendi ergo sunt oculi, quo diiudicet de futuro delirio, et si in vola manus aeger sentiat tensiones vel titillationes, tum conuulsiones imminent, ac si illa frustra venantur, festucas legunt, vulgo **das Feder lesen**, floccos de vestibus euellunt, sarcinas colligunt, vel plicas supra lectum explicant, aut quotlibet obiectum inordinate et confuse adripiant, tristissimum et fere semper lethale est signum. *Hippocrat. Prognost. IV. 10.*

Quo vero vires fortiores, et Symptomata mitiora sunt, eo melior semper morbi euentus sperandus, contra quo periculosiora cum Viribus debilitatis concurrunt symptomata, eo maius portendunt periculum, adeoque periculosior est morbus.

Delirium in hac febre frequentissimum non adeo deterreat Medicum, praesertim si a somno compescatur, et simul sufficienti sudori iunctum sit, post somnum vero perseuerans cum torua facie futurae Phrenitidis indicium est. Commune etiam est huic Morbo quod nonnunquam per excretionem, nonnunquam vero per abscessum termi-

netur, vnde aliquando euenit vt ſi hic inopinato, praeter rationem, varia ingraueſcant ſymptomata, criſin imminere indicio eſt, quae communiter die quarto aut ſeptimo accidit, imo plerumque etiam per Haemorrhagiam Narium, Vomitum, diarrhoeam vel ſudorem iudicatur. Hinc *Sudores hic optimi ſunt, qui in diebus iudicatoriis fiunt, et febrem perfecte tollunt, boni vero ſunt, qui per totum corpus contingunt, hominem facilius morbum ferre faciunt, qui vero tale quid non effecerint, incommodi ſunt, inquit Hippocrat. praenot. §.5. Text.1.2.* Aperta autem aluus ſemper melior eſt occluſa, nimis vero laxa et reſerata, quam potius *alui fluxum* dixeris, cum inſigni virium iactura, peſſima eſt; Haemorrhagiae autem narium vt vt die critico bonae ſunt, ſic extra hoc tempus contingentes, imprimis incompletae, et poſt maculas adparentes, ſuſpectae ſunt; ipſae autem maculae petechiales latae, liuidae, coerulerae plus minus nigricantes huic febri accedentes non ſolum peſſimae ſunt, verum res periculi pleniſſima manet, ſic etiam quo citius, accedant faucium inflammationes, loquelae articulatae amiſſio, prunella, fortes et conſtantes inquietudines, eo malignior eſt ſtatus. Metaſtaſes vero humorum ad parotides, melioris ſunt prognoſeos, quam ad fauces. *Vrina* autem et *pulſus* quo magis ſanorum ſunt ſimiles, et quo longius ita manent, eo perículoſius dicas ſignum, accedentes tandem Conuulſiones, Haemorrhagiae Symptomaticae, diſſluente quaſi cruore, ſudores frigidi, deliquium, animi, vtplurimum ad mortem ipſam terminantur funeſtam, vtinam ſaltem *beatam.*

Obauditionem et *Surditatem* vero in *Acutis*, in ſtatu adparentem, *ſemper* eſſe ſignum reconualeſcentiae, quod ad ſalutem portendat, ſecundum *Riuerii p. 451.* et *D. Pelargi Obſerv. Clinic. Part. I. p. 7. et 194.* experientiae fidae, ſolidae, et conſtanti non reſpondet, fruſtra ergo miratur citatus D. Pelargus quod recentiores obſeruatores *Stahliani* id ipſum ſignum non animaduerterint, et inconſideratè

ſuis

ſuis ſcriptis inſeruerint, quid? quod Celeberrimus Vir *D. D. Iunckerus*, (ſub cuius fideli manuductione per ſat longum tempus praxin ipſam exercui, cui ſolemni hac occaſione aeternas perſoluo grates,) hic inquam Vir Experientiſſimus hoc ſignum vtique ſaepiſſime obſeruauit, mox vero felici, mox infelici euentu, hinc reuera anceps eſt ſignum, vt recte cum *Hippocrate ſect. I. aph. 1.* dicas: *Experientia fallax, Iudicium difficile.*

§. XIV.

Poſitis reſpectibus et fundamentis *Pathologicis*, ad *Practicam* ſontici noſtri Morbi explicationem et Methodum progredior, et quae ad huius Febris percurationem pertinent ſedulo indicabo.

Hanc Methodum Medendi ſummum *Arcanum* in ſalutari Arte Medica eſſe, nullus eſt qui dubitat, quo vero haec ſalutarem nanciſcatur finem, deneceſſo pro baſi et fulcimento *veras* et *genuinas cauſſas*, perſpectas, ad ipſum ſubiectum Morbi adplicabiles, habere debet, vnde demum *Rationalis* ſuboritur *praxis*, adeoque haec methodus medendi illud plane eſt filum *Ariadneum*, quo ducimur ad Morbi huius dictas *cauſſas*, *nexum*, iuſtum *effectum*, *ordinem*, *indolem*, *progreſſum*, *ſucceſſum* etc. ratione ſubiecti vero aegrotantis, ad ulteriorem *peruestigationem* ſexus, aetatis, temperamenti, vitae generis, educationis, Conſuetudinis, idioſyncraſiae, morum, ſenſibilitatem, etc. Ad debellandum autem Morbum recenſita haec, vti ſumme quidem ſunt neceſſaria, ita tamen nondum omnem abſolunt rem, licet enim cognito ſtatu morbi quam exactiſſimo, carente autem notitia adminiculorum et auxiliorum certorum, imo aliquando etiam *ſpecificorum*, ſic irrita et vana omnis noſtra euadet ſpes, ac induſtria, et haec vtique vtplurimum etiam Cauſſa aliqua erit, quod non raro Medici, ſecus Celeberrimi, in eradicando morbo, multum conſumant temporis, alius vero in auxilium, quamuis dignitate inferior, vocatus, illum breui et expectatione citius extermi-

minet,

minet, et funditus exſtirpet; Non erravero itaque ſi illud remedium, ipſamque methodum magis particularem et SPECIFICAM, PATRIAE MEAE, felici ſucceſſu vſualem, orbi erudito, prius hic loci communicem, addita ἐπίκρισιν, quid ſcil. de illa ſentiendum, demum huius morbi propriam, genuinam, et magis notam ſuppeditabo curationem.

§. XV.

Si quis ergo inter NOSTRATES leni rigore, demum frigore et horripilatione corripiatur, ſubſequente calore continuo, et ſine intermiſſione adfligente, coniuncta cordis anxietate, ſiti inexplebili, dolore Capitis intolerabili, coniunctis deliriis, et vigiliis perpetuis etc. ſtatim hariolantur eſſe *Morbum* HAGYMA'Z, hinc confeſtim, vti in morbo ſupra dicto TSEMER ad ſalem, allium, et acetum; ſic hic ad *Herbulam* ONONIDEM tanquam ad ſacram Ancoram confugiunt. Quod ergo attinet Methodum, ſeu modum adhibendi hocce remedium, ſic *Adſtantes* ſolent recipere, totum Caulem cum Hb. et flor. *Ononidis*, offic. ſpinoſ. flor. purpur. vulgo Hauhechel, Noſtratibus a vi *ſpecifica*, quam exerit in morbo *Hagymáz* ſaltem dicitur HAGYMA'Z-KRAUT, huius recipiunt v. gr. Manus tres, addendo Cepae alb. No. j. et praeterpropter Caryophyllorum gr. xvj. *Ipſi*, forte ex ſuperſtitione, ſaltem No. jx. ſuadent, Mixt. conc. gr. M. Coqu. in olla noua fictil. adfuſo Vino generoſ. lb. ij. vel lb. ij*ß*. opt. cruſta panis occluſ. ad aliquam partis conſumtionem, Sign. Capitiluuium. Hocce iam decocto tepide patientis Caput in totum bene ter de die lavare ſolent, adeoque veſperi, deinde mane, et iterum hora veſpertina, hac adhibita cautela, quod illa in vſum tracta portio, demum ſemper reiiciatur, et quoties repetitur, toties etiam de nouo decoctum vel praeparatur, vel quae remanſere, recipiuntur; Qui vero aegrotorum hanc lauationem ſuſtinere et perferre nolunt, tum omnes illius *iuncturas* linteo, tali decocto imprae-

praegnato, fortiter fricare solent, idque etiam, vt supra, ter de die repetendo; Consequens seu effectus, qui hocce remedium insequitur, *speratissima* est mitigatio omnium Symptomatum, praesertim deliriorum, coniuncto placidissimo somno, cum leniori superueniente vdore, (nulla enim febris restituitur unquam sine omni sudore, secundum *problemata febrium Illustr. Dn. D. Stahlii.*) Alii econtra, qui hanc *Ononidem* in promtu habere non possunt, aliud decoctum substituere et parare solent ex Artemisia latifol. vulgar. Hb. Moioran. offic. Roremar. Abrotan. vulgar. Caryophyll. aromat. addito Allio et Cepa, proportio pro lubitu adstantium recipitur, nisi, quod iterum quoad Caryophyll. No. jx. vt corrigens et adiuuans addant, haec inuicem decoquuntur Vino generoso q. s. adplicatio eadem est cum superiori. Cum vero hoc decoctum non tantae sit Virtutis et efficaciae vti prioris, tum nec in vsu ita frequentiori est, nec ab ipsis ita suadetur, et in vsum adhibetur a Medicis, *palmam* enim ONONIS, quae basin in decocto priori constituit, reliquis omnibus cum *laude* praeripit. Hinc de posterioribus ipsis Herbulis, *alias sat bonis*, nihil hic loci dicam, de priori vero decocto paucis haec addo: ONONIDEM quod attinet, vt principalissimum nostri decocti ingrediens, de aliis enim non loquor, cuius praesertim Radix, quinque *Aperientibus* minoribus et *Hepaticis* adnumeratur, tum illa quidem Principia possidet parcius Sulphurea, copiosiora vero salino-Nitroso alcalina; hinc cum Hba suam Virtutem imprimis habet humores resoluentem, fluidificantem, abstergentem, colliquantem, discutientem, imo et diureticam, adeoque eo solum respectu illius vires non sunt contemnendae, vnde cuiuis facile patet quare et a *Galeno*, *Diascoride*, *Ettmüllero*, *Sculteto observat. Chirurgic. obs. 63.* et a *Borrichio in Act. Hafn. vol. I.* magni sit aestimata et commendata, num vero illas Virtutes ab ipsis recensitis Auctoribus sem-

per praestiterit, alia est quaestio, de qua hac vice non dissero, sufficit quadantenus palam esse et in hoc nostro morbo minime parui faciendam, a priori quidem, si rationes allaturus sum, utut de *Remedio Specifico*, in quibus specialissima latet habilitas, generaliter tantum quaedam proferre potero, de modo enim illius operandi specialius quaedam dicere, res ipsa vetat, subtilissimae enim *specificorum mixtiones*, et inde dependentes peculiares temperies non adeo distincte sensibus nostris externis se se obiiciunt, id autem solertes et indefessos Trium Regnorum, *Scrutatores* minime latet, reuera talia *dari* remedia *Specifica*, quae, adferente *Magnif. D. D. Praeside in Therap. Med. Cap. IX. §. IV.* multos Medicos latent, et magis simplicibus et imperitis hominibus cognita sunt, vnde evenit vt interdnm *Anus* aut *Opilio* cum simplici herbula, sine vllo *veneficio*, admirandos effectus perficere possit, quales stupendae eruditionis et grandiloquae saepe experientiae Artifex perficere non potuit.

A posteriori autem, bona fide, hoc ipsum DECOCTVM, cuiuis *rationali* Practico ad vlteriorem *inuestigationem* commendare possum, quid quod plurimi *Nostratum* a periculosissima hac Febre Maligna eliberantur, et pristina sanitate donantur, vti quidam etiam AMICORVM in Epistola ad me exarata id ipsum plurimis attestatur, dum imprimis inquit: Das Decoctum thut seinen richtigen effect, wie es alhie die Erfahrung fast täglich lehret. Conf. de Specificis Citat. *Magnif. Viri Schediasmata de medicamentorum modo operandi. et Therap. pag. 226.* vt et *Experientiss. D. Iunckeri Conspect. Therap. General. Tab. XX.*

§. XVI.

Hactenus de Cura quadam particulari, et magis *specifica*, *Patriae* meae usuali, actum est, iam sequitur, secundum promissa §. XIV., altera illa *methodus*, videlicet *Therapeutico-Practica*, in foro Medico-Clinico magis *usualis*,

lis, nota, atque perſpecta. Cum autem hic ob varia coniuncta Symptomata et malignitatem ipſam, *periculum* in mora ſit, ſic ipſe hoſtis, caſtris et viribus rite perſpectis, cum *Deo*, abiecta omni haeſitatione et cunctatione intrepide, aſt *mature* adgrediendus eſt, et quo maior imminet ruina et pernicies, adeoque quo magis hic Adfectus eſt *complicatus*, intricatus, et periculoſus, eo maior etiam omni tempore adhibenda eſt circumſpectio, ne quo pacto talia ſuadeantur, atque ordinentur Conſilia et auxilia, quae funeſtum accelerant euentum; etenim in hoc morbo praecipiti, citius faciliusue peruerſi conatus et auſus Medici, *damnum* quam commodum adferunt; hinc CAVTELAS nonnullas practicas in hoc Morbo obſeruandas, omni iure praemittendas eſſe diiudico. Abſtinendum itaque eſt in methodica noſtri HAGYMAZ percuratione, a peruerſa, praepoſtera, et *curatoria* euacuatione Sanguinis, vt et indiſcreto vſu *Vomitoriorum*, quae niſi adhibeantur congruo tempore, aut ſi mala adſit diſpoſitio ſubiecti ad ſubeundam talem vehementem et ſonticam excretionem, et ſi tamen vltro contra omnem rationem ipſa vrgeatur, tum peſtifera magis quam ſalutifera euadet; fugiendae etiam ſunt *impetuoſae* et *largiores* illae *diaphoreſes*, imprimis cum remediis illis vulgaribus calidioribus, humores impellentibus, nimisque *eſſentificatis*, inſtitutae; cum enim omnia hic in motu fortiori ſunt, idem eueniet ac ſi igni oleum adderetur, eapropter etiam ſedulo cauendum eſt a ſimplici aut liberaliori *Camphorae* uſu interno, ſeu Nitro commixta ſit, ſeu minus, eo peius vero ſi *Thuringis* vſitatum illud ſit oleum Bezoardicum *Wedelii*, hinc reiicio etiam omnia illa remedia motus et humores valde irritantia, nimis volatilia, concentrata, ſulphurea, ſpirituoſa, ſanguinis ebullitionem excitantia, imo et *Narcotica* ipſa vulgata *Opiata*, non excluſo communi vſu peruerſo *theriacalium*, quae ſingula praeſentem ſtatum valde deteriorant, et ae-

grotantes admodum conturbant et eneruant, praesertim *Opiata* dicta *communia*, non modo *praesentem motuum vitalium*, *animalium*, et *naturalium confusionem* sustentant et augent, sed et virium iacturam accelerant, simul et semel *motus*, salutariter institutos, cohibent, et non raro *mortem* ipsam causantur subitaneam. Absint etiam *adstringentia*, valde incrassantia, et symptomata subito supprimentia ac inique sedantia, confusaque tandem et multiplicata remediorum oblatio, quae communiter Medicorum imperitiam et inconstantiam facile produnt, imo necessarias ipsas euacuationes penitus turbant, totumque morbi schema magis deteriorant. Et hae principaliores cautelae practicae sunt, quae in hoc nostro *Casu* attentionem paulo adcurationem merentur.

§. XVII.

Proponendum ergo potius erit, quaenam *indicationes* practicae *positiuae*, in hoc adfectu prae singulis aliis conatibus therapeuticis certam et securam quandam curationem promittant: harum indicationum sequentes obseruandae et cum sperato vsu adplicandae sunt: 1.) vt impedimenta generaliora, quae morbum ipsum deteriorare, aut curam ipsam retardare possunt, remoueantur, 2.) vt miasmatis malignitas quantum possibile praeparetur, inuoluatur, coerceatur, et effectus putrefactionis intercipiatur, 3.) vt excretio necessaria huius malignae materiae tam per congrua medicamenta, quam per idonea regimina promoueatur, et 4.) vt symptomatibus vrgentibus debite subueniatur.

Omnes autem hae indicationes maxima cum lenitate exercendae et dirigendae sunt, cum hic morbus nullam immoderatam et praeposteram, atque impetuosam perferat commotionem, omnia cum recta ratione praemeditate instituantur, neque ab vno ad alterum praemature transgrediendum experimentum, neque diu ita sollicite mate-

materiae praeparationi et nimis ſcrupuloſae correctioni inſiſtendum eſt, cum Artificis labor primarius in promotione excretionis legitima conſiſtat, quae ob materiae malignitatem diu differri non poteſt, eo ipſo autem minime reliqua accidentia negligenda erunt, verum potius coniunctim debite et methodice tractanda eſſe diiudico.

§. XVIII.

Quod ergo nunc quamlibet harum indicationum ſeorſim attinet, tunc vtique impedimenta generaliora ante omnia remoueantur; quod ſi itaque Artifex mature ad aegrum ipſum conuocetur, in quo recte praeſumitur multas et ſuſpectas in primis viis adeſſe impuritates, inſuperque aliae circumſtantiae, imprimis virium iactura, incongrua aëtas, nimia ſenſibilitas etc. non obſtant, tum ibi tempeſtiuam et moderatam in vſum trahere poteſt *Emeſin*, coniuncto ſemper aliquo roborante remedio, non autem narcotico aut adſtringente, huic ſcopo ſatisfacit prae reliquis cognitum illud remedium, ex croco metallorum Rulandino paratum, ſcil. *Tartarus Emeticus Mynſ.* ad gr. iij. exhibitus, poſt cuius vero vſum minime conuenit aquoſas et impetuoſas ſudationes prouocare, aut calida Alexipharmaca exhibere, ſed potius totus ipſe decurſus febrilis cum lenitate tractetur.

Alterum impedimentum exhibet PLETHORA vrgens et ſuſpecta, quae, *ſi adeſt*, maxime motus febriles exacerbat et conturbat, hinc illa tempeſtiua, imo aliquando etiam repetita Venaeſectione imminui debet, quo variae graues *commotiones* Haemorrhagicae, orgaſticae, et periculoſae *inflammationes* meningum, pleuriticae, anginoſae etc. praeuertantur et praeoccupentur. Praeſtat vero MAXIMA cum CAVTELA et bono *iudicio* mox in *principio principii*, vbi vires adhuc adſunt, eam adminiſtrare, et quidem non plane more veterum ad Syncopem vsque, attamen nec parca ſed ſufficiens et paululum largior ſit, cui

mox ſubiungatur regimen diapnoicum, quo hoc modo humores eo magis ad peripheriam corporis ferantur, ſecus vt plurimum Venaeſectio funeſta et noxia euadet. *Confer. Magnif. D. D. Praeſid. Praxis ſpecial. ſect. IX. Cap. XIV. §. II. et Cap. XX. §. 5.*

Tertium tandem impedimentum etiam, aliquando eſt (*cum alias vtplurimum ad aluum liquidam inclinent,*) OBSTRVCTA ALVVS, quae minime poſitiue purgantibus commouenda, ſed mitioribus ſolum lenitiuis, rhabarbarinis, mannatis, paſſulatis, prunatis, tamarindinatis, imo Nitroſis, aut MR. ſimplici, vel Clyſteribus lenientibus, reſeranda eſt.

§. XIX.

ALTERA indicatio requirit, vt materia peccans mitigetur, temperetur, et ab efficacia maligna arceatur, ne effectum edat malignum. Hoc impetratur per materiae ſubtilis alterationem, et correctionem efficaciae putreſcentis, ſcilicet per remedia ſimplicius *Abſorbentia*, aut terrea acidis coniuncta, per oculos Cancr. citratos, Coral. r. ppt. C. C. S. Ign. M. P. ppt. C. C. pulveriſ. Nitrum in ſubſt. parca ſed repetita doſi cum abſorbentibus aut decoctis mixtum, aut paretur *Mixtura* quaedam ex ocul. 69. pulueriſat. Conch. citrat. additis Syrupis ad propriatis et aquis deſtillatis leniter diapnoicis, cum Clyſſ. Antim. Sulphurat. acuata, quo conducunt etiam *Decocta* e Radicibus Cichor. Scorzoner. Hb. Scord. Scabioſ. flor. Sambuc. Auen. excortic. paſſul. maior. et minor. Cremor. Tartar. Cort. Citr. recent parata. Non contemnendae etiam utilitatis pro hoc ſcopo ſunt *Julapia*, quae materiam et praeparant, et euacuant, atque vires conſeruant, conficiantur illa ex Decocto Cichorei paſſulato, Aquis deſtil. Scorzonerae, Scord. Card. Ben. flor. Samb. Tiliae, Naph. Galeg. Plantagin. Ceraſſ. Nigr. Borrag. Bugloſſ. Cinnam. Cydoniat. add. Syrup. acetoſit. Citri, Roſar. ſolut. Ceraſſ.

nigr.

Nigr. Rub. Id. et ſpirit. Nitr. dulc. Multam inſuper etiam efficaciam habet Mixtura ſimplex parcius tamen camphorata, largius autem acidulata. *Potus* deinde ſufficiens concedi poteſt, imo debet, carpendus enim merito peſſimus ille mos eſt, quando vti in omnibus, ſic et in hac febre illum ex falſa perſuaſione man ſtärcke das Fieber dadurch, denegant.

Praeparata et inuoluta ſubtiliori materia, tum haec ſecundum ſubſequentem TERTIAM indicationem placide leni diaphoreſi euacuetur, itidem per pulueres abſorbentes, diaphoretico-fixos, aut eſſentias temperatiſſimas Anti-febriles, compoſitas ex Eſſentia Pimp. alb. Scord. Vincetox. Caryophyllat. etc. ego autem potius maiori *ſecuritate*, praeſertim *Noſtratibus*, ſepoſitis omnibus *eſſentificatis*, Mixturas leniter diaphoreticas ſuaderem, ex aquis deſtillatis, et pulueribus praecipitantibus et diaphoreticis paratas, vt v. gr. loco ſpeciminis talem;

Rec. Aquarum deſtil. Card. Bened. Ulmar. Plantagin. Scord. Scorzoner. flor. Sambuc. Ceraſ. n. Namph. flauedin. citr. ana Unc. j. Ceruſſ. Antimon. ſcrup. j. Lapid. Cancror. citr. ana drachm. j. ß Spirit. Nitr. dulc. drachm. j. M. f. Mra d. in Vitr. ter per diem 2. Cochlear. pro doſ. aut ſi quis ultro Eſſentiarum vſum amat, ſic is huic mixturae commode et tutius addere poteſt Eſſent. Pimpinell. alb. et Succin. ana. drachm. ß. vel fiat tale Decoctum Antifebrile Alexipharmacum v. gr. Recip. Rad. Cichor. Unc. ij. Scorzoner. Unc. j. Hb. Scord. Veron. Scabioſ. ana. Man. ſemis. ſummit. Millefol. flor. Sambuc. ana Pug. j. Cort. citr. recent. drachm. ij. Pulp citr. drachm. iij. Lapid. prunell. drachm. j. Auen. excort. Unc. j. Mixt. decoqu. cum Menſur. iij. Aqu. font. leui ebullitione.

Methodus autem ſpecialior haec eſt: per diem decocto tali Alexipharmaco pro cuiusuis beneplacito inſtar potus ordinarii vti poſſunt, et cum *Natura praeparat*, Medicus

dicus huic etiam insistat operationi, si vero *euacuat*, tum commendatas mixturas adhibere potest diapnoicas, quando scil. aestus remissior existit, interpositis *Temperantibus*, *Analepticis*, *Iulapiis*, aliquando etiam *Emulsionibus*, maximum vero iuuat bonum regimen, quod ab inquietudine et nimio aestu vacuum est, sicut etiam omnes refrigerationes siue internae, siue externae, sollicite euitandae sunt.

§. XX.

Excipit nunc QVARTA indicatio in huius Morbi cura administranda, vt scilicet *Symptomatum*, quorum supra summariam fecimus mentionem, et *Virium* habeatur ratio, et videtur sane ac si haec principalissima esset operatio in hac adflictione singulis reliquis indicationibus attendenda; sed subinde bene etiam notandum est, quod omnis labor Artificis vel frustraneus, vel difficilis sit, ni per *praedictas* alias indicationes huc via praeparetur, totusque decursus febris legitime tractetur; haud enim commodius *consequentia* mala *auertere* poterit artifex, nisi omnia leniori methodo susceperit, quod enim *Deliria* attinet, tum si aeger ab initio remediis temperantibus, nitrosis, absorbentibus citratis, potu sufficienti et blando regimine diapnoico a Medico adgressus fuerit, tum vltro aut desistent, aut mitius adfligent, si autem vltra tempus permanent, dicta iam methodus continuetur, adhibitis externis rubefacientibus pedibus adplicandis, cucurbitulis coecis, epithematibus discutientibus, Unguento alabastrino, largiter Camphorato Spiritu Vin. Camphorato-crocato, aceto rutaceo, rosaceo, quibus etiam aliquando vna vel altera guttula Olei. Papauer. express. addi potest, imo in subiectis robustis laudatur *Electuarium* de *Ouo* cum *Nuce Vomica*, ad scrup. j. pro dos. Venae autem raninae non ita confestim incidendae sunt, nisi prius congruo tempore Venae-Sectio in brachio praemissa fuerit, hinc consultius

fuerit

fuerit in aliquibus ſubiectis leniori irritatione Narium cum ſtramine vel aculeo, aut modeſta ſcarificatione narium Haemorrhagiam prouocare. *Opiatis* vero, qui haec deliria compeſcere conatur, videat ne ex *Narcotico* hocce remedio, euadat *Necroticum*. Confer. *Magnif. D. D. Praeſid. Specimem vltim. diſſert. de medicament. Operand. in Corpor. viuo, ſub titulo ſedatiuorum.*

Anginodea et *Aphthodea* vero ſymptomata, per interna dicta Temperantia, et Alexipharmaca, perinde tractentur, vſu autem externo conducunt Gargariſmata ex ſpeciebus reſoluentibus, abſtergentibus, et mitius adſtringentibus parata, vid. *D. D. Iunckeri Conſp. Med. Tab. XXIX. ſub. Cautel. Numero* 7. imprimis Eſſent. Pimp. alb. ſine vehiculo praeſtantiſſimae efficaciae eſt, pro *Alphtis* autem demulcendis conducit Linimentum ex melle roſaceo, addita eſſentia quadam balſamica, vel Myrrhae, ſuccini, vel dictae Eſſent. Pimp. alb.

Diarrhaeae vero vel ſimplices, vel Dyſentericae, nullo modo ſupprimendae, ſed abſorbentibus, Nitroſis, Pilul. Stahlianis, tonicis ſecurioribus tractandae ſunt, inter quae eminet et eximiam vtilitatem habet Cortex Caſcarillae, qui ſimul lenit, ſedat et diſcutit.

Viribus vero proſpicitur Neruinis, Analepticis, Succis acidulatis, decocto Scorzonerae, et prae caeteris cardiacis Eſſentia Dulci Orphanotrophei Halenſis: è diaeta, imprimis in Patria *Vinum* generoſum aliquantulum dilutum etiam non de nihilo eſt, quod facilius illic locorum concedi poteſt, quia eo adſueti ſunt.

Caeterum concurrentes aliquando complicationes *Petechiarum, Inflammationum, adfectus Cholerici etc.* conſultum quidem eſt, illis debita methodo occurrere, quo iis conuenienter Artifex ſatisfaciat, nunquam tamen id fiat

 eum

cum morbi principalis neglectione, plurimum vero in hac Febre, vti antea monui, congruum et bonum valet *regimen*, quod ſub concurſu grauiſſimorum Symptomatum grauiter etiam turbari ſolet. Superato autem cum *Deo* morbo ipſo, tunc moderamen in *diaeta* ſollicite illis inculcandum, vt per tempus domi ſe contineant, ne quo vllo modo ab aëris liberiori admiſſione, recidiua cauſetur inſperata.

Et ita haec ſufficiant fundamenta principaliora, ne limites Diſſertationis, tranſcendam. Hinc nihil amplius reſtat, niſi vt DEO T. O. M. pro praeſtito ſuo auxilio, humillimas perſoluam gratias, cui et hunc laborem, et omnes reliquos meos conatus commendo, quo ſaluberrimus et ſperatus ſemper obtineatur.

FINIS.

COROL-

NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO.

S. P. D.

PRAESES.

L*Audare dignos honesta actio est:* hoc *Senecæ* Eloquio *in Ep. 102.* accessum ad præsens paro institutum, dum meo suffragio atque applausu honestos Tuos conatus comitari possum: laudem enim meretur, si selecta ingenia publico quodam symbolo suam probant qualitatem: laudanda etiam est illorum capacitas, qui proprio studio & egregio profectuum gradu argumenta utilia & patriis usibus quadrantia proponunt: laude denique et approbatione illi digni sunt, qui Medicæ artis commoda promovent, eoque ipso Deo et hominibus vires suas consecrant: Etenim dignitas non nomine sed factis nititur; quam ob rem non illi neque artis dignitatem adjuvant, qui sub magna ostentatione praxeos et experientiæ titulo superbiunt & indiscriminatim, posthabita rationali rerum & respectuum indagatione, conciliatione & relatione, pharmacorum tantum ordinatione contenti sunt, imo qui auream modo praxin pro scopo habent, et aliis anteferri, imo in consiliis ferendis præferri & cum præclusione aliorum adorari volunt; neque etiam alii propriam suam tuentur dignitatem, qui in Medicina vel vulgaria tractant, vel reliqua levi animo pensitant, vel quæ ante pedes sunt negligentius æstimant, vel sibi tantum sapere autumant: Honesta denique in Medicina actio est omnia negotia coram Deo & hominibus cordate, dextre & ingenue perficere, ut ipsum opus artificem

laudet: honestum est, publicis speciminibus sinceram & doctam suam indolem in medica arte probare: honestatis signum est patriæ consulere & bonis conatibus vires suas dicare: honesta actio est honores promeritos acquirere & tamen in honoribus Deo omnem gloriam et laudem tribuere. Horum respectuum memor Te compello *Clarissime Dn. Candidate* qui in tam laudabili & honesta actione constitutus es: posteaquam enim per aliquot annos egregia industria & animi applicatione sobriis & solidis studiis operam dedisti, ita cum viatico & symbolo honoris in Patriam redire cum Deo proposuisti: etenim dum præter honestam & pulchram morum & vitæ integritatem, elegantem scientiarum thesaurum in hac etiam Academia comparasti, & in rebus medicis egregios profectus Ordini Medico demonstrasti, ita nunc publico testimonio & inaugurali docta dissertatione laudabiles Tuos conatus ulterius confirmas: proprio enim studio præsentem disquisitionem endemii in Hungaria Morbi protulisti: Cui instituto & ego meo nutu & calculo accedo. Gratulor itaque Tibi de laudanda Tua industria, studiorum eleganti apparatu & reliquis probis animi dotibus: gratulor etiam Tibi de promeritis in Medica arte honoribus insuperque a fonte benedictionis & animi ac corporis perennem salutem & integritatem, prosperum reditum in Patriam omnesque faustos in futurum rerum successus Tibi ingenuo apprecor affectu: imprimis divina bonitas efficiat, ut non modo Endemium, quem docta hac explicuisti dissertatione Morbum, sed & reliquas morbosas afflictiones & ipse in Tuo non experiaris corpore, & qualescunque in aliis experiri Tibi contingit occasio, cito, tuto & jucunde cum summi Archiatri auxilio tollere aut mitigare queas. Ita huic divinæ Bonitati & Gratiæ Te, amico & faventi vero Tuo animo me commendo. Vale. Dabam Halæ Magdeb. *Prid. Iduum Septembr.* cIɔ Iɔcc xxvi.

NOBI-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO.

S. D. P.

D. IOANNES IVNCKERVS.

SElegiſti Tibi, Amice honoratiſſime, Inaugurale thema rari prorſus & ſingularis argumenti, in eoque exponendo dignum profectibus Tuis ſpecimen oſtendiſti. Perplacet ſane huiusmodi inſtitutum patriæ ſaluti deſtinatum & medicæ etiam hiſtoriæ amplificandæ idoneum; nec dubito, quin plures mecum in conatibus hiſce, doctrinæ & induſtriæ tuæ teſtibus, ex merito laudandis ſint conſenſuri; præſertim cum de hoc malo nobis peregrino, Tuis endemio parum hucusque innotuerit. Etſi enim febris acuta (quæ vocatur) Hungarica, plurimorum cognitionem non amplius fugiat, non levi paſſim hominum clade malignitatem ſuam teſtata; longe tamen ab huius genio

& medela, morbus ille; quem in hac dissertatione tua explicandum suscepisti, recedere videtur. Quemadmodum autem decumenta, quæ de ipso proponis, eo potissimum tempore, quo artis nostræ sacris nondum initiatus eras, ad tuam notitiam pervenerunt; sic utilissimam publico operam navabis & maiori beneficio patriam Tibi devinces, si, postquam iam solida medicinæ fundamenta iecisti, ex præsenti ægrorum opem tuam expectantium statu altiores huius morbi recessus investigare & omnia, quæ ipsius causas antecedentes, initium progressum, ακμὴν, declinationem, medicandi viam & circumstantias, plurimis experimentis illustrare & stabilire contenderis. Inprimis illud studiosius animadvertere operæ pretium foret, quousque hæc lues acutam indolem evidenter prodat, quantum a vulgarium statu periodo discrepet, & an tempus definitum criseos aut lyseos cuiusdam laudato specifico certius abrumpi vel contrahi possit; cum in nostris regionibus constantissimæ observationes doceant in febribus acutis continuis catarrhalibus, inflammatoriis, biliosis &c. mutationem criticam includi stato & immobili prorsus certorum dierum termino, quem, quicquid agamus, nullo salutari artificio præscindere aut accelerare valemus. Facilius autem hæc perficere poteris, quo magis instructus es præsidiis ad condendas huiusmodi observationes & de reliquo Practici spartam ornandam necessariis. Est igitur cur vere tibi gratuler & ex animo voveam, ut, quam tibi facultatem multo studio opera, tempo-

re

re comparaſti, eam in plurimorum afflictorum levamen & reſtitutionem in integrum exerceas, optabilemque ſucceſſum ab immenſa DEI T.O.M. benignitate plenus ſpei ac fidei tum ſemper exores tum patienter exſpectes ſic enim & patriæ tuæ deſideriis ſatisfacies & patronorum vota implebis, & magnam de Te amicorum exſpectationem non ſuſtinebis modo, ſed etiam ſuperabis, & denique Ipſe hinc fructus tibi colliges ſincero & ſempiterno gaudio ac felicitate animum refecturos. Supremum Numen angelos ſuos Tibi cuſtodes comitesque adiungat in itinere, quod emetiendum eſt, longiſſimo, Teque lætum amicis lætantibus reddat, ac diutiſſime ſervet incolumem. Vale. Scrib. Halæ III, Idus Sept.

cIɔ Iɔcc xxvi.

Blan-

BLandis conſuetum eſt Muſis INSIGNIA LAURI,
Largiter aſſiduis exhibuiſſe ſuis.
Comprobat immortale decus, DOCTISSIME Schüller,
Quod tibi dant placitis, DOCTA CATERVA, ſuis.
Quippe tuum ingenium clarum ſpecimenque ſecundum
Miratur Medici ſplendida turma ſoli.
Dum PATRIÆ dulcis morbos ſcrutaris iniquos
Et prudens monſtras quæ medicina levet.
Sic decus es PATRIÆ, ſic laus æterna PARENTUM,
Sicque manet cœptis fama benigna tuis.
Gratulor ex animo, quos PATRIA ſpondet honores,
Et precor ut gratam, ſalvus adire queas.

Prænobiliſſimo ac Doctiſſimo Domino
Auctori gratulabundus adjecit

PETRUS HERRMANNUS,
Tranſilv. S. S. Th. Cult.

COROLLARIA.

I. NOn ſufficit ad explicanda phoenomena Febrilia, ſi dicatur vires exerere pondere & motus determinatione.

Atqui

II. Febris non fit a materiali reſpectu.

Ergo

III. Febris eſt aliquid bonum.

Hinc

IV. Nullus moritur a Febre.

Et huius

V. Quo malignior eſt cauſſa, eo breuior eſt periodus Febrilis, et contra.

Inde

VI. Differentia inter Febres *Acutas* et *Intermittentes* fluit.

Sic

VII. Periodus Acutarum eſt plus rationalis, quam phyſicae neceſſitatis.

Vnde

VIII. Non omnes Morbi ſunt abſolute *Praeternaturales*, contra commune Medicorum adſertum.

IX.

Potus ſufficiens in Febribus eximium eſt remedium Analepticum et vires reficiens, atque conſeruans.

X.

Venae-Sectionem in morbo Hagymáz ſuſcipere curatoriam, rationi repugnat.

XI.

Deliria in hoc Morbo frequentiſſima, non adeo metuenda.

XII.

Camphorae vſus internus, ſecundum vulgarem nonnullorum methodum adhibitus, eſt ſuſpectus.

XIII.

Dantur morbi Contagioſi.

XIV.

Morbi maligni non ſunt abſolute lethales.

XV.

Negare Specifica veritati haud videtur conſonum.

XVI.

Opiata communia ex foro Medico rectius ſunt proſcribenda.

XVII.

Falſa eſt adſertio, quod exanthemata ex corporali et mechanica neceſſitate cuti impingantur.